

SCRIPTA

Numéro Scripta : 395

Auteur(s) : Robert, Chartres (évêque)

Bénéficiaire(s) : Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1158

Action juridique : autre

Description de l'original : chirographe (Cyrographum)

Langue du texte : latin
chirographe (Cyrographum)

Analyse

Ordonnance de Robert, évêque de Chartres, au sujet de l'accord intervenu entre Robert, comte de Dreux, et Pierre [de Cluny], abbé de Jumièges, relativement à la terre de Bû.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° LXXXI, t. 1, p. 201.

Dissertation critique

du 20 avril au 11 avril 1159 d'après J.-J. Vernier. Cette datation s'appuie sur les actes de Robert, comte de Dreux et de Louis VII, roi de France, sur la terre de Bû.

Texte établi d'après a

Cyrographum

Ego Robertus, Dei gratia Carnotensis episcopus, per presentia scripta notum facimus tam presentibus quam futuris quod venerabilis frater noster Petrus, Gemeticensis monasterii abbas, adversus virum illustrem Robertum, Drocensem comitem, penes dominum papam Adrianum clamorem depositum, suggerens ei quod in terra Gemeticensis monasterii apud Beu, renitentibus ejusdem monasterii fratibus, castellum construxerat atque totum nemus et medietatem manerii quod vocatur Beu eis auferebat. Deinde, cum ex mandato domini pape prefatum comitem convenissemus et, vocata utraque parte apud Nogentum, ibi rationibus hinc inde auditis, deinde propter evidentiorem rei cognitionem convenissemus apud Beu super ipsam terram, ex assensu utriusque partis, res traducta fuit ad subscriptam compositionem, videlicet quod monachi habebunt propriam eam partem territorii de Beu quam via Drocensis tendens ad Coryletum Henrici dividit a castello de Beu. Habebunt quoque illius partis hospites ab omni omnino consuetudine quietos, liberos et immunes, ita etiam quod si forte aliquis eorum aliquem de hominibus comitis vel aliquem alium vulneraverit vel occiderit et non detentus poterit inde evadere seque ultra pretaxatam viam in propriam monachorum partem recipere, nulli omnino liceat eum eosque persequi vel ibi capere, sed justiciam inde accipiet per manum monachi qui prior erit de Beu. Verumtamen parvum nemus quod est in parte propria monachorum nec monachi nec comes nec eorum homines incident nec aliquo modo vastabunt, sed communiter ad claustram ville et castelli illud conservabunt. Ea vero pars territorii de Beu que est ultra

sepedictam viam a parte castelli propria cedet comiti, exceptis ecclesiis et hospitalicio monachis ibi manentibus ex nostro arbitrio et nostra dispositione dividendo. Et ita est quod monachi habebunt decimam septimanam in omnibus redditibus mercati et furnorum, decimam quoque frugum et censum omniumque omnino reddituum quos prenominatus comes vel heres suus in toto illo territorio habuerit vel per castellum de Beu, excepto ecclesiarum jure, adquirere poterit, ita libere et quiete sicut idem comes novem suas habet septimanas. Porro monachi habebunt totum teloneum olerum, pororum, alliorum et unionum omniumque herbarum que venduntur et ad pulmentaria faciunt. Feriam vero sancti Leodegarii communem habebunt monachi cum comite per medium. Necnon ipsi monachi et eorum homines in nemoribus de territorio de Beu et in aliis sub garantia et tuitione comitis accipient ligna et nemora ad calefaciendum et hospitandum ubicunque homines comitis ea acceperint. Quod si contigerit aliquem hominum monachorum alicubi disturbari, comes ipsum tanquam aliquem de suis propriis hominibus requiri et liberabit. Omnia vero pascua utriusque partis hominibus monachorum et hominibus comitis erunt communia quamdiu pascua fuerint. Concessum est etiam ab utraque parte et statutum quod terre omnes que sunt de proprio territorio de Beu hinc inde inter comitem et monachos funiculo metientur et partientur per medium, ita tamen ut agricola, qui ante partitionem terram diruperit et de memore extraxerit, quiete eam habeat et excolat et domino cui terra illa in partem cesserit campipartem reddat. In molendinis autem quos habet comes apud Ulmellos in fluvio qui dicitur Blesia, habebunt monachi decimam septimanam in annonae et denariis, ita libere et quiete sicut comes habet suas novem septimanas, quamdiu monachis placuerit mittere homines suos molere ad illos molendinos ; cum autem monachi noluerint homines suos ad molendinos comitis ire, sed ad alios molendinos molere, in molendinis comitis decimam nec habebunt nec reclamabunt ; amplius si aliquis hominum monachorum in molendinis comitis aliquid in moltura forisfecerit, duplicum reddiderit molturam pro emendatione per manum prioris de Beu. Monachi quidem de annonae sua quam molere facient in prefatis molendinis comitis ad usum suum et ad usum proprie familie nequaquam dabunt molturam. Et est insuper adnectendum quod nos rogavimus comitem ut concederet quod monachi ibi suam caperent decimam ubi ipsa capit suam campipartem. Quibus precibus comes facile adquievit, et sicut postulavimus benigne concessit. Omnis nempe prepositus de Beu infra triduum quo preposituram acceperit faciet priori de Beu fidelitatem per sacramentum se legitime et fideliter observaturum Gematicensis monachis jura sua in prescriptis redditibus, sicut in presenti scripto continetur, nec se aliquo modo prepediturum quominus eis ad integrum reddantur. Siquidem comes Robertus vel quicumque terram tenebit heres suus ex devotione et recognitione etiam quod sepdictum castellum in terra Gematicensis monasterii est situm, singulis annis in festo apostolorum Petri et Pauli decem solidatas cere tradet priori de Beu, unde fiet cereus quem idem prior ad Gematicense monasterium deferat ut accensus in die festo ad memoriam et honorem ibi effulgeat. Pro quo beneficio et aliis a sepdicto comite et cometissa sibi collatis jam et conferendis, Gematicensis conventus annis singulis eorum anniversaria celebrabit necnon et heredum anniversaria quicumque post ipsos terram tenuerint. Quod ut ratum per succendentia tempora perseveret, presentem paginam nostri sigilli impressione communivimus et corroboravimus.